Sed ex ipsis pugnans in modico roboratur. Audito nanq; patris nomine, & tanti patris, omnia .s. conferentis, æterna promittentis, cui naturale est seruire. Quis non mansuescat? quis nõ accendatur in eius amorem? Bono nanq; filio nihil dulcius, quam patris, qué diligit, negocia contrectare. Quia si fortè adhuc persistit tentator, aut concessa ex victoria aliqua surripit elatio, addatur vltimũ Christi verbum in mortali corpore prolatum, vt perfecta sit eius doctrina, quod est. Pater in manꝰ tuas commendo spiritum meũ. q.d. licet, scientiam me in negotio patris mei esse debere, infirmus tamen sum ad resistendum impugnatoribus, ideò in manus tuę potentię, cui resistere nihil potest, commendo spiritum meũ, vt tuo iuuamine, tua gratia, tua defensione munitus vincere possim aduersa, & in his, quæ tua sunt, semper permanere. Quod si datur mihi aliquando, non mihi domine, sed nomini tuo sit gloria. Et ne spiritus meus in superbiam efferatur, etiam modo, & semper in manus tuas commédo spiritum meũ. Ecce quanta ꝑfectio doctrinę initialis Christi, quæ etiam sola videtur sufficere ad salutem, quam rogo memorię cõmendate, sępę repetite, semper vosipsos verbis illis admonete, semper vobis dicite. Nescitis quia in his &c. Quod vt facere valeatis, vlterius addite, diuinũ auxiliũ implorantes, illi vos contra omniũ insidias commendantes, & dicentes. In manus tuas commendo spiritum meũ, quatenus merear semper inueniri in his, quæ tui, optimi patris mei sunt.

## *DOMINICA INFRA octa. Epiphaniæ. Sermo. II. in ordine. XI.*

PATER tuus, & ego dolentes quærebamus te. Luc. 5. ca.

Sanctus euangelista Lucas qui Christi saluatoris nostri ortum in carne, & infantiam ceteris clarius scripsit eiusdem redemptoris nostri pueritiã non tacuit, sed in hoc euangelio reuelauit, vt certè cognoscamus hunc nobis venisse, in omniq; nobis ætate profuisse. Omnis deniq; hominũ ætas discat, & conditio, qua via ad Deũ accedat. Idcirco .n. venit in carnẽ, vt visibili sua conuersatione, & doctrina cunctos instrueret, qũo ad inuisibilis suæ deitatis gloriã pertingerent contuendã. Rectè igitur speramus per humanitatis eius sacramenta ad videndã diuinitatis speciẽ posse conscendere, si tñ eadẽ sacramenta digno iustitiæ, veritatis, ac sanctitatis honore vt accepimus illibata, conseruamus, si humanitatis eius exẽpla, si doctrinæ, quã per hominẽ nobis ministrauit humiliter dicta sequamur. Nã vt Beda ait in homi. Qui humilitatis eiꝰ vestigia sequi dedignatur, qua temeritate sperat se ad intuenda claritatis eius posse gaudia penetrare? Quia si fortè tardi tanta humilitatis exẽpla sequi pertimescimus, saltem formam, eius dignæ genitricis attendamus, quã vt virtutũ magistrã, filiiq; diligentissimam imitatricem nobis euangelista exponit. Nam tanto charitatis feruore eidem mater adhæsit, vt ad horam eiꝰ priuata contuitu, non sine dolore triduo quæsiuit cum sponso suo Ioseph, ipsa filio inuento dicente. Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. De quibus pro gratia Aue Ma.

Pater tuus, & ego &c. Quamuis ex hoc euangelio doctrinarũ plurima emanant fluenta tã paretũ, quã filiorũ, & ad se inuicẽ, & ad Deũ. Dedit .n. Maria & Ioseph coniugatis normã se habédi ad pueros, puer Iesus normam obediẽdi parentibus vterq; exemplum prætulit obsequendi Deo in omnibus. Quid enim vel breuius, vel clarius, vel vtilius omnibus dici posset ad instructionem religionis christianæ, quã illud, quod puer iste primo verbo, quod benedicto suo ore protulit legimꝰ expressit. Oportebat me inquit, in his, quæ patris mei sunt, esse. Vtinã & nos omnes in patris æterni negocijs semper inueniamur, haud dubium vt boni serui præmia æterna reciperemus. Non tamen omnia

Doctrinæ morales de recte amore parentum in filios.